



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

***NUNTIUS GRATULATORIUS DATO  
SERAFIM FERNANDES SRE CARDINALI DE ARAÚJO  
ARCHIEPISCOPO BELLOHORIZONTINO***

*Venerabili Fratri Nostro*

*Serafim Fernandes SRE Cardinali de Araújo*

*Archiepiscopo Bellohorizontino*

Multiplices quidem magnasque simul laudes diuturni ministerii tui, Venerabilis Frater Noster, quas tum pastores ipsi ac fideles carissimae tuae Brasiliae patriae extollunt tum etiam hanc apud Sedem Apostolicam administri libenter efferunt, Nos hodie Ipsi concelebrare cupimus, cum singularem omnino vitae tuae commemorandum voce quoque Nostra esse videamus.

Proximi enim mensis Martii duodecimo die licebit, Deo volente, ac plane decebit quinquagesimum sacerdotii tui faustissimum natalem diem convenienter praedicare. Illo olim die cursus frugifer clarusque etiam bonorum operum incepit quae archidioecesi Adamantinae in primis profuerunt atque hos quadraginta superiores annos continuos communitatem Bellohorizontinam plurimum iam adiuvant.

Illic namque diversis laudabiliter versatus es in parochi magistrisque muneribus. Hic autem in auxiliaris et coadiutoris ipsiusque ordinarii officia reliquum apostolatus tui tempus sapienter diligenterque pastor serenus ac studiosus impendisti. Nec quisquam profecto tua ignorat cumulata merita inter varia Conferentiarum ibi Episcopaliū consilia et opera.

His propterea de causis praeesse te volumus eidem metropolitanae sedi Bellohorizontinae atque Purpuratorum Ecclesiae Patrum anno praeterito honorifice ingredi. Etenim maximi aestimamus tuam erga Dei Ecclesiam fidelitatem in gubernandoque prudentiam, pariter etiam studium vocationum sacrarum promovendarum, cleri instituendi, catholicae provehendae educationis et culturae. Laeti praeterea gaudemus magnopere de «nova evangelizatione» a te ibidem ordinata et Congressu Missionario Latino-Americano prosperrime istic nuperius peracto.

Initium idcirco ministerii tui, ordinationem videlicet sacerdotalem tuam die XII Martii mensis quinquaginta abhinc annos, his Litteris Nostris illustrare studemus, Deo omnium donorum auctori congruas referentes fructuoso de opere tuo grates tibi que ipsi eandem felicissimam gratulantes occasionem.

Esto tibi una cum fraterna hac salutatione Apostolica Nostra Benedictio Nostrorum erga te sensuum testis plurimumque dein tibi, Venerabilis Frater Noster, ac dilectissimo cui praees pro Christo gregi munerum caelestium pacis prosperitatis in fideque christiana vivendi alacritatis auspex.

*Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Februarii, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostris vicesimo primo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**

© Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana